

INDEX CAPITUM LIBRI NONI

DE LEGE DIVINA POSITIVA VETERI.

- CAP. I. *An ante legem Moysi data fuerit alia lex positiva divina.*
- CAP. II. *An lex Moysi a vero Deo data sit, ita ut divina fuerit.*
- CAP. III. *De fine legis veteris et præceptorum ejus.*
- CAP. IV. *De materia legis veteris et præceptorum ejus.*
- CAP. V. *De convenientia modi, temporis, etc., legis veteris.*
- CAP. VI. *De effectibus legis veteris.*
- CAP. VII. *An lex vetus justificavit.*
- CAP. VIII. *De perfectione legis veteris.*
- CAP. IX. *De mutabilitate legis veteris.*
- CAP. X. *De cessatione legis veteris quoad obligationem.*
- CAP. XI. *De cessatione legis veteris quoad omnia præcepta.*
- CAP. XII. *De obligatione legis veteris ante Christi mortem.*
- CAP. XIII. *De tempore quo cessaverit lex vetus.*
- CAP. XIV. *An lex vetus non tantum mortua, sed etiam mortifera sit.*
- CAP. XV. *De tempore quo lex vetus mortifera fuerit.*
- CAP. XVI. *An lex vetus fuerit semper mortifera post Evangelii prædicationem.*
- CAP. XVII. *Lex vetus non semper post inchoatam prædicationem fuit mortifera, secundum Augustinum.*
- CAP. XVIII. *Satisfacit dubiis ex dictis resultantibus.*
- CAP. XIX. *Fueritne lex vetus prius mortua quam mortifera.*
- CAP. XX. *Quomodo fuerit illicitum gentes ad judaizandum cogere, etc.*
- CAP. XXI. *De inutilitate legis veteris quoad effectus suos.*
- CAP. XXII. *De cessatione Circumcisionis quoad sanctificationem infantium.*

LIBER NONUS.

DE LEGE DIVINA POSITIVA VETERI.

Distinximus in superioribus legem positivam in humanam, quæ a voluntate humana proxime vim habet obligandi; et divinam cujus proximus auctor et conditor est Deus, a cujus voluntate vim habet et auctoritatem: et de humana lege et speciebus ejus hæcenus disputavimus; superest ergo dicendum de lege divina positiva. Hæc autem in veterem et novam quasi in duas species seu membra diversa distingui solet, et ideo de his duabus legibus sigillatim dicendum est. Nam de ratione legis divinæ positivæ communi utrique nihil præmittere oportet; tum quia ex superioribus et ex notatione ipsius vocis satis constat unde habeat aliqua lex quod divina sit, curque positiva dicatur; in quo vero a naturali distinguatur in lib. 1, cap. 3, declaratum est: proprietates autem vel effectus qui ad hanc communem rationem consequuntur, partim noti sunt ex dietis supra de lege in communi, partim declarabuntur commodius secundum specificas rationes, de singulis legibus disserendo. In hoc ergo libro dicemus de lege veteri, et in sequenti de nova, generationis ordinem potius quam perfectionis cum divo Thoma et aliis auctoribus observando.

CAPUT I.

UTRUM ANTE LEGEM MOYSI DATA FUERIT HOMINIBUS ALIQUA LEX POSITIVA DIVINA.

1. *Ratio dubitandi.* — Ratio dubitandi est quia lex divina positiva non minus fuit necessaria vel utilis hominibus ante Moysis tempora, quam post illa: sed Deus non tradit homini specialem legem ultra naturalem, nisi propter illius necessitatem vel utilitatem; ergo debuit dari talis lex, etiam ante Moysis tempora. Et confirmatur: nam videmus Deum

dedisse homini in statu innocentiae specialem legem non comedendi de ligno scientiæ boni et mali, Genes. 2. Post peccatum autem datum fuit hominibus præceptum de usu aliqujus Sacramenti, quo possent non solum adulti, sed etiam infantes a peccato originali purgari, ut videtur esse communis theologorum doctrina. Deinde ante diluvium legimus quædam animalia reputata fuisse munda, quædam vero immunda, Genes. 7; illa autem diversitas non est ex lege naturæ, ut constat; erat ergo ex lege divina positiva. Et inde sumi potest indicium fuisse tunc aliquas leges sacrificiorum a Deo latas, quia munda et immunda animalia non distinguebantur nisi in ordine ad sacrificia; ergo fuerunt ante diluvium plures leges divinæ positivæ. Præterea post diluvium legimus a Deo datum præceptum illud: *Carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim animarum vestrarum requiram*, etc., Genes. 9; hoc autem præceptum non est naturale, ut constat, unde hodie non servatur. Denique lex circumcisionis multo ante Moysen data est; nam ideo dicitur Joan. 7 non fuisse ex Moyse, sed ex Patribus, quia nimirum data fuit Abraham, Genes. 17, ubi Deus dicit: *Custodias pactum meum*, etc.; fuit ergo lex divina et positiva, et prior lege Moysi. In contrarium vero est, quia si datur aliqua lex Dei ante Moysen, insufficientis est divisio legis divinæ in duas prædictas, et incompletus etiam erit tractatus de legibus, de illis duabus tantum disserendo.

2. *Lex dupliciter.* — Hæc quæstio solum proposita est ad complementum hujus doctrinæ, et ut constet divisionem illam esse sufficientem, nihilque aliud de divinis legibus desideretur. Advertendum est ergo nomen legis interdum sumi in vi nominis collectivi,

frequentius autem in vi termini communis. Hoc ergo posteriori modo dicitur de singulis particularibus legibus, prout illam fere tota hac materia usurpavimus; priori autem modo significat multitudinem plurium legum, prout ab uno legislatore traduntur in ordine ad instituendam seu dirigendam aliquam rempublicam, seu congregationem humanam secundum aliquem peculiarem statum; et hoc modo accipitur saepe in Scriptura, ut Joan. 1: *Lex per Moysen data est*, et saepissime apud Paulum, praesertim in Epist. ad Rom. et ad Galat.; et sic etiam lex gratiae appellatur *lex spiritus vitae*, tanquam una lex, ad Rom. 8. Et similiter lex naturae tanquam una lex significatur, utique per modum unius collectionis. Ita ergo in praesenti de divina lege loquimur, et explicata notione vocis, facilis est quaestionis resolutio.

3. *Ante Moysen non fuit data positiva lex in sensu de quo agimus.* — Dico ergo, primo, ante Moysen non fuisse a Deo datam positivam legem plura divina praecipia continentem, per quam homines vel aliqua hominum congregatio in peculiari statu a Deo instituta, et peculiari modo ad aliquem finem ordinata fuerit. Haec assertio certa est, et sufficienter probatur, primo, ratione in contrarium facta, quia lex divina sumpta hoc modo sufficienter dividitur in legem veterem et novam, ex communi sententia theologorum, et ex divina Scriptura, in qua non legimus nisi aut legem veterem aut novam. Priorem quidem in toto veteri Testamento contentam, propter quod totum illud interdum solet nomine legis significari, teste Hieronymo, in Epist. 150 ad Algasiam, quaest. 8, ubi late ex Scriptura id probat: quo etiam modo Isidor., l. 1 Sentent., c. 28, legem divinam in tres partes distinguit: in historiam, praecipia et prophetias. Proprie vero sumitur pro collectione praecipiorum, praecipue ubi dicitur lex data per Moysen, et sic etiam dixit Christus, Luc. 24: *Haec sunt verba, etc., quae scripta sunt in lege, et Prophetis, et Psalmis de me.* Alteram vero legem promisit Deus Jeremiae 31, dicens: *Dabo legem meam in visceribus eorum*, de qua etiam praedixerant Isai., c. 2, et Micheas, c. 4: *De Sion exiit lex, et verbum Dei de Jerusalem*; et haec est lex nova quam Paulus vocat etiam *legem fidei*, ad Rom., 3, et gratiam, seu legem gratiae, ad Galat., 5. Praeter has ergo duas leges nulla est alia data a Deo; ergo ante Moysis tempora nulla fuit lex divina.

4. *Ratio conclusionis.* — Ratio autem est, quia lex divina hoc modo significat jus quoddam integrum a Deo ipso positum continens statum religiosum, in quo homines sub peculiaribus signis seu sacramentis in ordine ad divinum cultum in unum corpus mysticum congregentur; hoc autem modo non fuerunt homines ante Moysen specialiter instituti a Deo, aut specialiter congregati in unam rempublicam; ergo non oportuit ante illud tempus dari specialem legem divinam. Major satis declarata est. Minor vero constat ex discursu Scripturae sacrae, et in materia de Sacramentis latius ostenditur non fuisse in illo primo tempore datas a Deo peculiare leges de sacrificiis aut sacramentis; et eadem ratio est de aliis particularibus ritibus aut moribus. Et ideo totum illud primum tempus vocatur tempus legis naturae, quia illa sola tunc vigeat; sub illa comprehendendo legem connaturalem gratiae, ut supra, l. 1, cap. 3, declaravi. Ubi etiam ostendi necessitatem legis divinae, hoc modo sumptae, non fuisse necessitatem simpliciter, sed ad melius esse, quod beneficium noluit Deus conferre hominibus pro illo tempore. Per quod solvitur ratio dubitandi in principio posita. Cur autem ita se gesserit Deus eo tempore cum hominibus, licet possemus dicere id fecisse Deum pro arbitrio suo, congruentiam aliquam inferius trademus, circumstantias legis veteris explicando.

5. *Probabile est Deum dedisse ante legem Moysi unum vel alterum praecipium opportunum pro illo tempore.* — *Praecipium Adae vera lex fuit et perpetua de se.* — Dico secundo: ante legem Moysi, probabile est dedisse Deum hominibus interdum unum vel aliud peculiare praecipium opportunum pro illo tempore juxta consilium voluntatis et sapientiae suae. Hoc probant alia exempla in argumentis adducta. Quanquam primum non multum ad rem praesentem pertineat, agimus enim de hominibus in statu naturae lapsae. Cum autem innocentiae status fuerit adeo diversus, mirum non est quod in illo fuerit lex aliqua a Deo posita illi statui accommodata. Deinde vero dicimus etiam in illo statu non fuisse a Deo datum jus integrum positivum, prout illud explicuimus, sed tantum singulare quoddam praecipium quasi in signum peculiaris subjectionis et obedientiae, et ad humilitatis et aliarum virtutum exercitium. Sic enim probabile est etiam Angelis dedisse Deum aliquod positivum praecipium ob simi-

les causas, ut in propria materia latius dicemus. Imo sunt qui censeant praecipium illud datum primis hominibus non fuisse propriam legem de se perpetuam, sed quasi personale mandatum solis primis parentibus pro suis personis, non pro tota posteritate datum, etiamsi in statu innocentiae perseverarent. Sed hoc ego non probo, imo censeo illam fuisse veram legem, ac de se perpetuam; tum quia eadem ratio erat in filiis quae in parentibus, ut legem aliquam positivam a Deo semper haberent; tum etiam quia illud praecipium fuit respectu Adae non tantum personale, sed etiam (ut ita dicam) capitale; quando enim illi dixit Deus: *Ex omni ligno paradisi comede, de ligno scientiae boni et mali ne comedas*, loquebatur cum illo ut capite, ac subinde cum tota ejus posteritate, ut ostendunt sequentia verba: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Ibi enim toti posteritati mortem comminatus est. Et ideo, teste Paulo, omnes in illo praecipium illud transgressi sumus, et mortem incurrimus; ergo fuit lex illa pro tota posteritate lata. Imo, eadem ratione censeo praecipium illud semel datum soli Adae (juxta simplicem contextum et ordinem cap. 2 Genes.) comprehendisse Evam, eo ipso quod illi per Adam fuit praecipium intimatum, juxta probabilior sententiam Aug., 8 Genes. ad litteram, c. 17, et aliorum, quia nimirum lex illa pro toto genere humano posita erat, siquae vere dixit Eva, Genes. 3: *Praecipit nobis Deus ne comederemus, etc.*

6. *Ad secundum exemplum.* — *Ad aliud exemplum.* — *De circumcissione.* — Ad secundum exemplum de praecipio utendi aliquo sacramento, seu signo necessario ad impetrandam a Deo, mediante fide Christi, remissionem peccati originalis, fatemur semper fuisse in humano genere hoc praecipium divinum, ut in t. 3 tertiae partis ostendimus. Dicimus autem imprimis illud non fuisse integram legem in sensu superius declarato, sed fuisse unum singulare mandatum ob peculiarem necessitatem datum. Deinde dicimus non fuisse omnino positivum, sed (prout a Deo datum est) fuisse suo modo connaturale fidei, secundum statum quem pro eo tempore in hominibus habebat, et ideo generaliter tantum positum fuit, et per legem vel consuetudinem humanam determinationem accipiebat, ut in citato loco ex professo tractatum est. Ut tamen simul respondeamus ad aliud exemplum de praecipio circumcissionis

(quod, juxta probabilior sententiam, fuit quaedam determinatio praedicti generalis praecipii, specialiter a Deo facta pro populo Israel), addimus praecipium illud fuisse inchoationem quamdam legis veteris, quae a Deo singulari ratione fuit anticipata per aliquod tempus sufficiens ad multiplicationem populi, quem sibi peculiariter congregabat, et cui postea lex danda erat, et ideo idem praecipium eademque circumcisio semper in ea lege mansit, eratque janua et professio illius obligationem inducens, teste Paulo ad Galat. 5.

7. *Tertium exemplum.* — Tertium exemplum erat de animalibus mundis et immundis, quorum fit mentio Gen. 7, ad quod respondemus nullum praecipium divinum ibi insinuari. Responsio enim communis est Moysen ibi esse locutum per anticipationem: nam ea animalia, quae postea lex vetus in munda et immunda discrevit, ideo sic nominavit, quia ipse scripsit post legem latam, quamvis tempore diluvii, de quo ipse scribebat, nondum fuisset facta discretio; ita Abul. et alii. Sed hoc non caret difficultate; nam quidquid sit de usu vocis, quem probabile est per praecipium fuisse, nihilominus etiam in re ipsa videtur clare supponi discretio jam facta, quando Deus jussit introducere in arcam septena et septena ex mundis animalibus, et bina et bina ex immundis, quia nisi jam reputarentur diversae conditionis, aestimationis, vel usus, non haberet locum ille diversus modus praecipendi. Et ideo Chrys., homil. 24 in Gen., probabile existimat Deum, qui praecipium dabat, manifestam fecisse differentiam illam ipsi Noe, quod potuit facere, etiamsi nulla lege tunc stabilita fuisset.

8. Valde etiam probabile est quod ibidem sentit Chrysostomus, ante diluvium factam esse discretionem aliquam inter animalia, vel in ordine tantum ad divina sacrificia (si ante diluvium non erat in usu esus carniarum, ut sentit Chrysostomus supra, Homil. 26, et divus Thomas, 1. 2, q. 102, art. 6, et ad 2; et Abulens., et alii Gen. 9), vel etiam in ordine ad humanum cibum, si ad illum tunc animalia sumebantur, ut voluit Soto, lib. 5 de Justit., q. 1, a. 1. Non est autem necesse ut illa discretio facta fuerit lege divina, sed prudentia et consuetudine humana, ut idem Chrysostomus priori loco declarat, dicens: *Ipsa scientia justo insita docebat quoniam ad cibum accommodata, et quae immunda, non*

quod ita sint, sed quod pro immundis habeantur; et inferius dicit scientiam a Deo nobis suppeditatam docere quadam quadrupedia apta esse ad cibum, et non alia. Quod etiam late ostendit Hieron., lib. 2 contra Jovinian. col. 7; et Zachar. Papa, in epist. ad Bonifac., ait Gentiles ad Christum conversos abstinuisse interdum a quibusdam animalibus, quæ natura abhorrere solita est. Sic ergo, ductu naturæ, et consuetudine, ac traditione suorum parentum, potuit Noe habere etiam usum discernendi inter animalia, maxime in ordine ad sacrificia, quam differentiam anticipato nomine significavit Moyses per differentiam mundorum et immundorum animalium, quamvis talia non essent tunc ex ritu legis; nec fortasse omnino eadem cum illa, quam postea lex vetus induxit. Et ideo etiam Sancti docent plura esse servata ex animalibus mundis, quia ex illis Deo sacrificandum erat.

9. *Ultimum exemplum de abstinence a sanguine explicatur.* — Ultimum exemplum erat de præcepto abstinendi a sanguine, dato a Deo, Gen. 4; de quo præcepto aliqui sentiunt per illud solum prohibitum fuisse carnes crudas comedere, quod sentit Soto supra; alii vero dixerunt ibi solum prohiberi homicidium, quasi sub tropo et figura, ut sensit Lugubinus. Et favet Cyprian., l. 3 ad Quint., c. 119, qui in simili præcepto, Act. 15, legit, *a sanguinis effusione*, tacite sic exponendo verba præcepti. Et videntur sequi Chrysost. et Bed. ibi; Tertul., lib. de Pudicit., c. 12; sequiturque Salmer., plura referens, tract. 43 in Acta, versus finem: unde, juxta utrumque sensum, facile respondebitur illud præceptum divinum non fuisse positivum, sed naturale. Utraque vero expositio, si excludat proprium sensum de esu sanguinis et suffocati, rejicienda est ut allegorica nimis et contraria sinceritati litteræ, et simili legi latæ ab Apostolis, Act. 15, et communi Patrum expositioni in utroque loco, Genesis et Actor.; et optime declarat Ambr. ad Galat. 2, in principio; et August. 32, contra Faust., c. 13. Concedo ergo fuisse tunc illud speciale præceptum positivum a Deo latum, fuisse tamen singulare, et non plenam legem. Et ita Chrysost., dicta Homil. 27, comparat illud cum præcepto Adami, dicens: *Sicut Adam dictum est ut de uno ligno ex omnibus non ederet, ita hic dictum est, cum omnia ad esum valde licenter permissa essent, verumtamen carnem cum sanguine non comedatis*: unde posset generalis

ratio præcepti utrique accommodari; particularis autem talis præcepti in tali materia redditur ibidem ab eodem Chrysostomo dicente: *Hoc facit ut primis illis temporibus comprimat illorum impetum, et propensionem ad homicidia*; quam rationem habet etiam Augustinus, et juxta illam exponendi sunt Patres prius allegati. Aliam vero rationem addit Augustinus, dicens arcam Noe fuisse typum Ecclesiæ, et ideo tunc latum etiam esse præceptum quod tacitam prophetiam contineret, quæ cœpta est impleri in Gentibus ad fidem accedentibus, proptereaque præceptum illud ab Apostolis renovatum esse, de quo plura dicemus infra tractando de cessatione legalium.

CAPUT II.

UTRUM LEX MOYSI A VERO DEO DATA SIT, ITA UT DIVINA FUERIT.

1. *Error antiquus circa lationem legis veteris.* — Fuit antiquus error, legem illam datam fuisse a malo Deo. Distinguebant enim illi hæretici duo principia, malum et bonum, et priori tribuebant non solum mala omnia et peccata, sed etiam corporum creationem; et eidem attribuebant antiquæ legis lationem, vel quia lex illa sacrificia cruenta principaliter præcipiebat, et circa justitias carnis versabatur, ut ait Paulus, vel etiam quia putabant non fuisse puram, sanctam et immaculatam. Cujus hæresis primum auctorem fuisse Simonem Magum intelligimus ex Clemente Romano, lib. 6 Constit., c. 19. Eum secuti sunt Marcion, Valentin. et alii, contra quos disputat Irenæus, l. 4, c. 10, 22, 29, et aliis; Epiph., hæres. 21 et 66. Potissimum vero amplificaverunt hunc errorem Manichæi, quibus ob eam rem tribui solet, ut patet ex August., hæres. 46, qui late disputat contra hunc errorem in libris contra Faustum, et contra Adimantum Manichæum, et lib. contra adversarium legis et Prophetarum, et optime in lib. de Spirit. et litter. Fundamentum autem hujus erroris de duobus principiis est contra naturalem rationem, et in prima p. late impugnatur. Deinde auctorem veteris Testamenti fuisse Deum ipsum ostenditur late in materia de Fide, et ideo nunc sufficiat testimonium CHRISTI Domini et Apostolorum, sæpe in novo Testamento approbantium vetus tanquam continens Scripturam sacram et divina præcepta. Quod etiam contra illum er-

rorem definivit Conc. Toletan. 4, in confessione fidei dicens: *Si quis dixerit vel crediderit alterum Deum esse prisce legis, alterum Evangeliorum, anathema sit*; et Conc. Trid., sess. 4, definivit utriusque Testamenti unum esse auctorem.

2. *Alius error cujusdam Ptolomei.* — Aliter (Epiphano teste, hæres. 33) in hoc erravit Ptolomeus quidam, dicens auctorem illius legis non fuisse unum sed tres; et nullum eorum fuisse verum Deum. Nam partem legis dicebat fuisse datam ab Opifice mundi, quem non Deum, sed numen secundum esse dicebat; partem vero a Moyse, et aliam partem a senioribus illius populi. Sed prima pars hujus est manifesta hæresis, fundaturque in alia hæresi, quod Verbum non sit verus Deus, et ideo non indiget alia impugnatione. Tertia item pars, intellecta de lege Moysi prout continetur in Pentateucho usque ad finem Deuteronomii, erronea est et sine ullo fundamento; nam in illis libris nullum est indicium alicujus legis datæ per alium seniore præter Moysen, licet postea fuerint illi legi aliqua præcepta humana adjuncta, ut de quadam lege judiciali legimus. 1 Reg., 30, et de cæremonialibus quorundam festorum, Esther 9, et 1 Machab., 4, etc. Omissis ergo illis duabus partibus, circa secundam potest esse nonnulla difficultas, quia illi ex parte favent aliqui Catholici, et præsertim refertur Origenes, Homil. 16 in Numeros, qui sensit aliqua præcepta fuisse data a Moyse proprio arbitrio, et non divina inspiratione, de lege permitte repudium. Et potest fundari in verbis CHRISTI Domini, Matth. 19, ubi prius dicit legem illam, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, esse divinam, postea vero subdit de lege repudii: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses*.

3. *Auctorem legis, in quinque libris Moysi tradita, fuisse Deum.* — Dicendum primo est legem scriptam et traditam in quinque libris Moysi fuisse vere divinam, et Deum ipsum fuisse principalem et proximum ejus auctorem. Hæc assertio est D. Thomæ, q. 98, a. 2, et simpliciter loquendo est de fide; addo, *simpliciter loquendo*, ut excludam quæstionem an aliquod præceptum possit excipi tanquam humanum, de qua infra dicam. Atque ita probatur sufficienter Exod. 20, ubi in principio legis dicitur: *Locutusque est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduaxi te de terra Egypti. Non habebis Deos alienos*, etc. Et passim similia

verba in illis libris repetuntur, ut sæpe in sequentibus videbimus; certum autem de fide est illum Dominum fuisse verum Deum, ut ibidem constat, et ex Psalm. 18: *Lex Domini immaculata*, etc., de qua dixerat, *Cæli enarrant gloriam Dei*. Et Psalm. 118: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*, idemque sæpe in aliis habetur, et in omnibus Prophetis. Concordat etiam Testamentum novum, in quo illa lex vocatur lex Domini et lex Dei, Matth. 7: *Irritum fecisti præceptum Dei*; Matth. 15: *Deus dicit, Honora*, etc.; ad Heb. 9: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus*. Propterea lex illa erat prophetica, et figura futurorum, teste Paulo, 1 Cor., 10, et Gal. 4. Quod confirmat latius in Epist. ad Heb.; et Joan. 19: *Os non comminuetis ex eo*. Solus autem Deus potuit præceptis et factis futura infallibiliter præsignare, præsertim quia talia erant quæ ab illius pendebant voluntate. Tandem argumentatur optime D. Thomas quia lex illa disponebat ad CHRISTUM Dominum, unde ad illum tota ordinabatur, propter quod ille dixit Luc. ult.: *Oportebat impleri quæ in lege, psalmis et prophetis scripta sunt de me*. Et Joan. 5, remittit Phariseos ad legem Moysi: *Nam de me (inquit) ille scripsit*; ergo idem Deus qui CHRISTUM ad nos misit, legem illam tulit. Contra hanc tamen veritatem objiciebant hæretici aliqua quæ pertinent ad proprietates, præcepta et materiam hujus legis. Sed commodius infra in propriis locis tractabuntur.

4. *Lex data est ministerio Angelorum.* — Dico secundo: lex vetus a Deo data est ministerio Angelorum. Hæc assertio est D. Thomæ, quæst. 98, art. 3, et absolute ac generatim sumpta omnino certa videtur. Primo, ex testimonio Pauli ad Gal. 3: *Quid igitur lex? propter transgressiones posita est, etc., ordinata per Angelos in manu mediatoris*. Chrysostomus autem ibi per Angelos, Sacerdotes intelligit. Sed ipsemet, orat. 3 ad Heb., expositionem hanc rejicit, et merito, quia est contra proprietatem et frequentiore usum vocis, sine necessitate, et sine fundamento in littera aut contextu. Item, quia nullus Sacerdos interfuit in promulgatione illius legis, nisi Moyses, et tamen ibidem condistinguuntur Angeli a Moyse, ut inferius declarabo. Ponderat etiam ibidem Chrysostomus in posteriori loco Angelorum nomen in plurali poni, et Sacerdotem qui ibi interfuit et aliquo modo ministravit, solum fuisse unum. An vero